



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 154. Legatio Orientalium Patriarcharum ad Papam

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV. Pontifici alium nominandi jus relictum
 A.C. 1460. est, qui ad hanc Ecclesiam Guilielmum
 Phelassium Monachum Benedictinum
 Velleris aurei Cancellarium, ac Virum
 meritorum gloria insignem plena aucto-
 ritate evexit. Hac ratione Pontifex in
 Galliis obtinuit, quod Hispania & Polo-
 nia eidem pertinacius concedere recu-
 savit.

§. CLIV.

*Legatio Patriarcharum orientis ad
 Pontificem.*

Papa diutius Senis hærens plurimos,
 qui Mantuam necdum pervenerant,
 excepit Legatos, quos inter præcipui nu-
 merabantur Patriarcharum Orientis Ora-
 tores, cujus Legationis princeps erat
 Archidiaconus quidam Antiochenus,
 Moyfes nomine, Vir Græcis ac Syris li-
 teris apprime eruditus, & magni apud
 Orientales nominis. Is ab Antiocheno,
 Alexandrino, & Jerosolymitano Patriar-
 chis missus Papam adiit, exposuitque,
 quod præfati Patriarchæ decretum Con-
 cillii Florentini de communione utrius-
 que Ecclesiæ Græcæ & latinæ, hucus-
 que non receperint, eoquod dissensionum
 fator diabolus eos impediisset; nunc ve-
 ro Dei instinctu commoti, conventu suo-
 rum

rum hanc in rem habito, decretum sole-
 mni ritu susceperint, atque in omnibus
 deinceps Romano Pontifici tanquam JE-
 su Christi Vicario obtemperare decreve-
 rint, Pius Papa perhumaniter legationem
 excepit, ac pluribus Patriarcharum o-
 bedientiam commendavit, Moysis autem
 orationem latine reddi, atque in tabula-
 rio Romanæ Ecclesiæ asservari iussit.

Sæcul. XV.
 A.C. 1460.

§. CLV.

*Monembassianorum Legatio ad
 Pontificem.*

Paucis deinde evolutis diebus Pontifi-
 cem adiere Legati ex quadam Pelo-
 ponensi civitate, quam Monobassiam, seu
 Monembassiam appellant. Urbs hæc ex
 tribus veteribus Epidauris una, littori-
 maris incumbit, atque in supremo mon-
 tis cacumine sita est; Illius autem Le-
 gati ad Papam venerant, eum exoraturi,
 ut ipsos, eorumque urbes in suam fidem
 reciperet; eidem etiam narrabant, Deme-
 trium Paleologum eorum Dominum ad
 Mahometem II. defecisse, se vero ad id ab
 eodem sollicitatos, ejusmodi crimen dete-
 statos esse, ac Thomæ ejus Fratri se, ur-
 bemque suam obtulisse, cum autem illi
 sat virium non esset, quibus eos a Tur-
 carum insultibus defendere valeret, ipsum-

*Phranz. l. 3.
 cap. 24.*

*Comm. Pii II
 lib. 3.*

Histor. Eccles. Tom. XXVIII. U u met